



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Caput 9. De Adoratione Regum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

lum angustum locum mei cordis, quin ibidem esset contractus vel constrictus, sed gloriosus & retinens suam staturam. Eram quasi afflicta & turbata videndo meum DEUM ac Dominum in ea specie intrā meum cor, & me ipsam, ac si illum nunquam itā vidissem, unāque eram confusissima, & verecundabar, eò quòd intuerer meum DEUM ac Dominum adeò mihi vicinum, atque itā intrā me existentem. Videns Divina Majestas, quod in mea anima fiebat, dixit illi gravi quodam, ac Divino modo: Quid miraris, Anima? quid itā times, ac stupes? Ignorāsne meam magnitudinem, meam sapientiam, ac potentiam, quā ex mea bonitate operor magna

mysteria pro utilitate animarum, & me non posse contrahi vel constringi à loco parvo vel arcto, sed nec dilatari à magno & spatioso; siquidem ego sum Dominus absolutus omnium rerum, & universa dispono pro meo beneplacito, ac libitu, ut me nihil possit adstringere ad suas leges? Quocirca Anima, quiesce in me, neque turbetur cor tuum in meis mysterijs & operibus, quia omnia facio pro tuo majore bono & commodo, ac mea gloria. Quo dicto me replevit summo solatio, & cor meum denuò mysticè fuit clausum. Ego mirata sum ejusmodi opera Domini, & gratias illi egi pro omnibus. Ipse sit benedictus in æternum. Amen.

## CAPUT IX.

### De Adoratione Regum.



*Admirabiliorem gratiam assequuta est à DEO die Epiphania, quo præcipuè celebrabatur adoratio Regum. Sed exordiemur à minoribus.*

#### §. I.

**H**Oc die, *inquit*, ante diluculum matutinum, me reperi in stabulo Bethlehemitico, sicut consueveram, cum sanctissima Virgine, & pretioso ipsius Filio, nec non Sancto Josepho, qui compositā modicā illā suppellectile, quam habebant, exciverat ignem, & accenderat pro illuminando stabulo quandam quasi assulam, seu particulam tædæ, quæ suaviter lucebat, & sufficienter ad illustrandum eum locum. Virgo tenebat Infantem in suis brachijs, indurum solo indusiolo nitidissimo ac delicatissimo, & tectum velo, quo cooperiebatur corpusculum. Animadverti hoc modo à Virgine cum Sponso expectari Reges, quos jam à DEO intellexerant venturos, quamvis de hoc non loquerentur, sed ambo observarent sanctum silentium. Interea audivimus venientes ad

portam illius Atrij homines quasi ex itinere (dico autem, audivimus, quia etiam ego, quæ ibi in spiritu aderam, illos audivi) qui accedentes ad portam, inceperunt loqui, & conferre aliquantum clamorē: quavis autem non perciperentur verba, quæ dicebant sancti Reges, intelligebatur tamen, sermonem illis esse de stella, quæ steterat supra illud stabulum, & monstraverat ibi esse Regem ac Dominum, cujus quærendi & adorandi gratiā advenerant. Paulò post aperuerunt portam stabuli, & per illam ingressi iverunt rectā ad sanctissimam Virginem, quæ sedebat, tenens suum pretiosum Filium in brachijs valdè modestè & sanctè, atque animo usque adeò collecto, ut quamvis ingrederentur Reges, ipsam non viderem attollentem oculos ad eos aspiciendos. Venerunt sancti Reges ad sacratissimam Virginem, defixisq; humi genibus adoraverunt sanctissimum Infantem, & Regem ac Dominum nostrum, obtuleruntque illi sua munera. Postea se erexerunt, & profundissimā corporis inclinatione sunt reveriti Beatissimam Virginem, quæ etiam affurrexit, & illos venerata est, inclinando se coram illis. Tum se verterunt ad sanctum Josephum, quem si-

mili

mili honore sunt prosequuti, reverente illos vicissim sancto quam humillimè, ac deducente ipsos usque ad portam stabuli, ubi discesserunt. Hæc adoratio duravit exiguo tempore; sed tunc non vidi modum; quo obtulerunt sua munera, vel quis illi susceperit: quia id fuerat factum me non vidente; neq; enim ego plus video, quam quod Divina Majestas mihi vult ostendere. Sed post biduum deinde se mihi spectandū exhibuit Dominus rursus in specie Infantis, sicut solebat, licet non viderim, fueritne in brachijs suæ Matris. Videbam illum tamen indutum elegantissimâ togulâ, undiq; refertâ ac distinctâ pretiosis lapidibus, qui mirum in modum coruscabant. Diu eum intuebar cum magna attentione & stupore, cogitando qualisnam esset hæc tam parva togula. Et ipsius Majestas respondit meæ cogitationi, dicendo: Noveris istam esse togam regiâ, quam modò indui in signum, quòd sim Rex, & Dominus omnium, atque pro tali jam agnitus ac adoratus à Regibus terræ: utque hoc significarem, & tu videres, volui tibi taliter comparere.

## §. II.

*Aliam magis stupendam de hoc Myste-  
rio habuit visionem multis annis post.*  
Aliquando manè, propè Festum Epiphaniæ (16: 1.) inter orandum, converti, inquit, animæ oculos, quasi ad partem, ita DEO disponente, & vidi ibi sanctos tres Reges Magos, vestitos regiè, redimitos coronis aureis, valde graves, & magnam præferentes majestatem; qui me aspexerunt, & amanter sunt alloquuti, dicendo: Soror nostra, DEUS tibi det felicissimum Festum Epiphaniæ. Turbata nonnihil aspectu horum Sanctorum, quia mihi mirū accidit illos videre, confugi ad DEUM, more solito, pro implorando ipsius lumine, & aliquantum timui. Sancti Reges id videntes conabantur me componere, & graviter ac pacatè me expectabant, usque dum jam mea anima, Domino id ipsi inspirante, illos aspiceret sedatè, auscultaretque sanctos eorundem sermones, & ef-

set quieta. Tum illos statim interrogavi: Sancti & Beati Reges, dicant mihi, amore DEI, quare venerint ad quarendum Salvatorem mundi, & adorandum tanquam suum DEUM? Illi mihi quam sapientissimè responderunt: Vidimus stellam ejus in oriente, & habitâ scientiâ naturali, quam nobis DEUS dedit, atque accedente inspiratione & cognitione supernaturali ac lumine, quod communicavit animabus nostris, per illam stellam, per quam spiritus quidam Seraphicus nos efficaciter illuminabat, ut cognosceremus Verbum Divinum Incarnatum, quòd jam apparuerat in mundo; propter hoc cœleste lumen festinanter statim abivimus ad quarendum & adorandum hoc summum Bonum, acceptis nostris thesauris, quos ipsi offerimus; cum quibus obtulimus nos ipsos, præstando illi homagium, nomine omnium nostrorum Regnorum, ac totius Universi. Interrogavi præterea: Quæso, dicant mihi Domini, quando venerunt Jerosolymam, & disparuit ipsis stella, quid fecerint, & quid cogitaverint? Ipsi responderunt: Ecce, Anima, tunc DEUS replevit nostras animas quadam adeò magnâ fide veritatis, quam nos docuerat, ac tantâ in illum confidentiâ, ut generosissimè & audacissimè pertransiverimus Civitatem, dicendo: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in oriente, & venimus adorare illum. Sed dicant mihi, inquiebam ego: Domini, quare illis disparuit stella? Responderunt, id evenisse ob duas causas. Primò: quia DEUS voluit probare nostram fidem, & an turbaremur, atque concideremus animis, deficiente bonis tanto lumine, ac Duce. Secundò: noluit DEUS tantâ gratiâ dignari illum malum Regem Jerosolymæ, & ipsius Aulam, ut illa cœlestis stella eam illuminaret, transcundo per ipsam: dederat namque, DEUS talem virtutem & efficaciam ad illuminandas animas, & trahendas ad cognitionem DEI, illi Seraphico Spiritui, qui erat in ea stella: ut possibile fuerit adduci, attrahique ad cognitionem DEI, illum malum Regem, & ipsius Aulam, fierique illi à DEO istam gratiam, quam ta-

men

men non promeruerant, quin potius valde se eâ reddiderant indignos, propter magnam superbiam, & duritiam cordium suorum, in cuius poenam non permisit DEUS, ut conspicerent lumen illius stellæ, & fruerentur tanto bono. Dixi præterea: Dicant verò Domini, quando egressi ex Civitate denuò conspexerunt stellâ, nonne fuerunt repleti magno solatio? Magno, & summo nobis fuit ea res solatio, reposuerunt illi. Dixi quoque ipsis: Ac tandem, Domini, illa stella illuminavitne & comitata est ipsos, donec pervenirent ad beatum stabulum Bethlehemiticum, ubi erat noster Salvator in brachijs suæ sanctissimæ Matris, unâ cum sancto Josepho? Itâ, anima, itâ Anima, dixerunt ipsi, atque ibi, illa Divina stella tam lucidè scintillabat, & radiabat, ut videretur incendi sanctum stabulum, quod fumus ingressi, ubi cum summo amore ac reverentia humi prostrati, adoravimus nostrum Salvatorem, DEUM ac Hominem verum, obtulimusque ipsi nostra munera, aurum ut Regi, thus ut DEO, myrrham ut Homini: atque si sanctissima Mater voluisset in suum usum convertere illum thesaurum, abundè ipsi suffecisset ad transigendam feliciter vitam. Indè fumus digressi cum summo solatio, quia Redemptor, & sanctissima ipsius Mater, nec non sanctus Josephus se nobis exhibuerunt quàm gratissimos pro nostra adoratione, & oblati muneribus; Dominus autem nobis dedit suam benedictionem, & apparuit nobis Angelus, præcepitque, ne reduces transiremus Jerosolymam. Hoc modo res contigit, Anima. Summo me affecit solatio ista communicatio. Post hoc sancti illi Reges mihi dixerunt: Nunc, Soror nostra, reliquum est, ut nobiscum proficiscaris eò, unde nos venimus, in nomine DEI. Dum hæc audirem ipsos dicentes, fui turbata, quia illos nunquam aliàs videram, ac proinde nesciens quid dicerem, respondi ipsis: Hoc non, Domini, hoc non: ego sum creatura mei DEI, atque ancilla ipsius, & sinè ejus voluntate ac dispositione nullò eo: quando placet meo Domino, & ducunt me isti Angeli, quos hîc vident, vado, quò DEUS vult. Illi

autem responderunt perbenevolè & amiter: Quid dicis, Anima? Nonne scis, nos per misericordiam DEI esse animas beatas, & versari in ejus conspectu, dum fruimur beatificâ ipsius visione, ideòque nos nihil posse facere sinè illius Divinâ dispositione? Nos, Anima, venimus ad te nomine DEI, & significamus tibi hoc ipsius mdatum, ut eas nobiscum, quò te ejusdem nomine ducemus. Dixeruntque deinde cum imperio & majestate: Quid dicis ad hoc, Anima? quid respondes Domino, qui nos ad te misit? Audiens, quod mihi à sanctis Regibus eo modo fuerat dictum, adverti animum ad mea verba, & prostrata humi dixi: Ecce Ancilla mei DEI, ac Domini, fiat in me ipsius sanctissima voluntas. Cùm hoc dixissem, sancti illi Reges se moverunt, emittentes ingentè splendorem, quod ipsum etiam fecerunt sex Angeli DEI, qui mecum erant, similiter formosi ac splendidi, & confestim resonuit quaedam cœlestis musica multorum Angelorum, assumensque me Angelus meus Custos, unâ cum cæteris, collocavit me in medio illorum sanctorum Regum, atque itâ fui ducta per diversas regiones. Et cùm ex alto vidissem multa Regna opulentissima, alia verò his disparia, nec non magnam populum diversorum statuum ac nationum, tunc mihi dixerunt illi sancti Reges, & mei Angeli: Anima, ora DEUM pro ista gentilitate. Postea fui ducta ad altissimum montem, unde per quosdam veluti gradus constructos ex cœlesti quadam materia, me perduxerunt usque ad cœlum, & patefacto mihi aditu à multis Angelis, ingressa sum illam cœlestem Jerosolymam unâ cum sanctis Regibus, & meis Angelis. Sancti Reges autem me subito obtulerunt DEO, dicentes: DEUS, & Domine noster, hîc vides istam animâ, quam nos jussisti ad te perducere. Valde reluctabatur, sed tandem se submitit, & voluntati suæ conformavit. Bene est, dixit DEUS, relinquitte illam hîc. Tum illi recesserunt ad suum quisque locum, & ego mansi cum sanctis meis Angelis coram Domino, tremens tamen, & cum aliquo timore, an non aliquomodo ipsum offend-

dissem eâ repugnantia, quam habueram initio, nè venirem cum sanctis Regibus. Sed Dominus me pacavit, & aspexit benigne.

## §. III.

**C**onstitutam in ista ecstasi, abripuit Dominus, ponendo me intrâ semetipsum, & intrâ suam Divinam Essentiam, ubi altissimo quodam modo mihi manifestavit, & ostendit immensas perfectiones suorum Divinorum Attributorum, ac tum aliquantò post me eduxit Dominus, ut ipso fruerer alio modo arcano, acciditque mihi sicut alicui, qui postquam est ingressus portam magni, sumptuosi, & elegantissimi Palatij, educitur inde aliâ pretiosissimâ ac diversâ portâ. Hinc fui ducta à quodam supremo Angelo, quem ego non novi, ad quandam altitudinem, ex qua vidi immensam quandam Majestatem: non poteram fatiari ijs bonis, neque complecti illam immensitatem. Luctabar cum meo DEO, & quamvis multum laboraverim, non poteram me tamen reddere capacem tantarum felicitatum. Cùm aliquamdiu duravisset ista lucta, abripuit me in icu oculi admirabiliter Angelus: atque dum me teneret juxta se, & animaret, incepi audire quandam ingentem tumultum, non formidabilem, etiamsi ego tremuerim, sed plenum solatio, instar tonitruorum, fulgurum, ac tempestatis, & radorum Divini ignis, inter quæ veniebat ipse DEUS, & illabebatur suaviter, atque quam spiritualissimè in potentias meæ animæ, implens illam se ipso: sed ego semper anhelabam, volens fatiari, & complecti amplitudinem mei DEI, nec poteram propter meam limitatam & exiguam capacitatem. Post hoc venit vehemens ventus, delicatus, suavissimus, & urens, instar sibili, in quo veniebat ipse DEUS, & pervasit potenter meum sensum, ac auditum, meque penetravit, ac replevit DEO, & quidquid vidi, audiavi ac sensi, atque cognovi de istis mysterijs, totum erat DEUS, & magis DEUS.

Angelus ille supremus finito hoc mysterio me recreavit & solatus est, dicendo mihi: Anima es fatigata ex lucta cum tuo

DEO, fruita es immensis ipsius perfectionibus, & Essentiâ Divinâ, pro tuo captu; cætera, quibus potieris, non possunt fieri in hac vita mortali: post illam fruëris tuo DEO cum satietate, & claro lumine, dum te non impedit velum mortalitatis. Dic mihi tamen modò, quinam sint futuri illi tam felices, ut possideant ista infinita ac immensa bona tui DEI, quæ vidisti, & cognovisti, quemadmodum ego te edocui, & illuminavi? Obstupui vehementer, nesciens, quid esset respondendum ad talem interrogationem: quia mihi videbatur, bona, atque magnalia, quæ videram, & cognoveram, ac degustaveram mei DEI esse talia, ut ignorarem, an inveniretur ulla anima, quæ illa posset promereri, essetque eorundem capax.

Ita attonitam illuminavit DEUS, & provolvens ac prosternens me, ad motis ad os manibus, dixi Angelo: Sanctissime Angele, his bonis Divinis fruuntur humiles corde, parvuli, illi pauperes spiritu, contemptores sui ipsorum, & amantes suum DEUM perfecte, atque ex toto suo corde & anima, unaque proximum in eodem suo DEO. Oprimè respondi, dixit Angelus, surge nunc, & accipe meam benedictionem, in nomine totius Beatissimæ Trinitatis. Et postquam mihi ter bene fuisset precatus, apprehendit statim aspergillum, quo intincto in quodam pretioso sanguine me asperfit, dicendo: Accipe, Anima, in hunc modum applicationem virtutis, & valoris meritorum JESU Christi, ac pretiosi ipsius sanguinis pro omnibus effusi. Deinde me cooperuit quodam admirabili velo, & summo cum amore atque charitate collocavit in manibus mei sancti Angeli Custodis, ut me reponeret in meo loco. Tulit me cum magno gaudio, comitantibus illum sanctis Angelis ipsius socijs, & collocavit me in meo loco, sicut ipse mandaverat Angelus. Ultra octiduum, nescivi quis fuisset ille supremus Angelus, cujus operâ & ministerio peracta fuerant tanta mysteria; deinde verò me DEUS illuminavit, quòd Verbum Divinum Incarnatum, assumptâ illâ specie Angeli, fuerit author tantorum operum ac miseratio-

num. Ipsum sit benedictum in æternum. Amen.

Postquam me Dominus cūmulavisset illis favoribus & gratijs, intra biduum mihi ejusdem Majestas immisit valde terribilem & extraordinariam crucem, tam internam animæ, quàm externam corporis, quod fuit afflictum summis & insolitis doloribus, ardoribus, atque cruciatibus acerrimis, adeò ut per multos dies fuerim in continuo quodam martyrio, visaque mihi sim imposita in rotas plenas novaculis, & exco-riari, atque igne torreri. Hujus tantæ gratiæ, & misericordiæ, quam mihi Dominus contulit, licet se natura non nihil exereret, mihi Divina Majestas ingenerabat tantam æstimationem, replebatque tanto solatio superiorem meæ animæ partem, dum cōfiderarem, quantum valeret coram DEO, utpote pretiosa illius gemma, quam ei oporteat esse gratam, ac placere, eò quòd illam mihi dedisset ipsius Majestas, meque ita tractavisset; ut proinde istam Crucem, & ejus bona non permutarem ullà re, non dico temporali, quia istas cupio proterere pedibus; sed neque omnibus favoribus, vel solatijs, & gratijs extraordinarijs, quas mihi DEUS potest conferre in hac vita: verumtamen cum omnimoda resignatione in Divinam voluntatem.

#### §. IV.

**A**Lio die Epiphaniæ, anno 1622. dum manè agerem cum DEO, attollens oculos animæ, vidi quoddam Cælum stellatum, proximum terræ, & in ejus medio Seraphinum splendidissimum, emittentem magnos splendores, ac radios lucis. Vehementer mirabar, conspecto hoc mysterio, & subito vidi ab isto Seraphino designari crucem, in medio illius Cæli, optimè efformatam, ac lucidissimam, qui statim recessit ad unam Cæli partem, ubi incepit evibrare novos splendores & fulgures, videbaturque conflagrare, quasi indicando parvum stabulum Bethlehemiticum, in quo erat recenter natus DEUS, & Homo verus. Voluit Divina Majestas me breviter edocere de illo Divino mysterio

adorationis Regum. Vidi sanctissimam Virginem cum suo sanctissimo Puellulo in brachijs, & hunc adorari à tribus Sanctis Regibus, tanquam DEUM ac Dominum, offerrique ipsi munera. Postea mihi apparuit sanctissima Virgo cum suo sancto Filio, dixitque: Famula DEI, adfero tibi hunc pretiosum thesaurum, ut illum videas, ac adores: & confestim vidi sanctissimum Pupulum in meo corde, atque sanctissimam ipsius Matrem, absque illo, cui dixi: Domina mea, quid fecit tua Majestas? quomodo dimisit ex suis brachijs sanctissimum Filium DEI, & suum, posuitque in corde tam vilis creaturæ, quàm sum ego fordida, abominabilis, & instar sterquilini plena miserijs? ac deinde incepi dicere de me multa mala, juxta lumen, quod mihi dederat DEUS, cognitionis propriæ. Sacratissima Virgo autem mihi respondit amanter & suaviter: Serva DEI, jam audivi, quid dixeris, quòdque tantopere doleas, te esse peccatricem. Hic Dominus est Agnus, qui tollit peccata mundi, & si es immunda, iste Dominus est puritas ac lux mundi, quæ illuminat animas, ac docet viam veritatis; si verò es miserabilis, ipse suâ misericordiâ abolet miseras omnium: atque ecce talem, qualis es, te esse vult idem Dominus ac Filius meus. Insuper tibi verè dico illos defectus, quos tu commemoras & invenis in te, non esse in DEI conspectu defectus, sed permissiones, pro tuo exercitio, & augmento crucis, tuorumque meritorum: Hoc audiens à Virgine, repleta fui solatio, & recreata, egique ipsi magnas gratias pro exhibito favore.

#### §. V.

**A**Lio festo Epiphaniæ, anno 1623. dum occupata essem quadam re, spectante ad Divinum obsequium, etiamsi fuerit exterior, comparuerunt mihi sancti tres Reges, dixeruntque se venire, ut me ducant ad adorandum Infantem DEUM recenter natum, irem proinde cum illis ex eo loco, ex quo ipsi venerant: & cum ego distingerer dicto negotio, addiderunt; Nè solliciteris: expedi te, quia nos habebimus tui curam.

curam. Cessavi ab opere, quod habebam præ manibus, & ipsi disparuerunt. Mei autem Domini sancti Angeli me transtulerunt ad illas regiones orientales, ubi reperi tres Reges, qui me secum duxerunt unà cum meis sanctis Angelis. Proficiscebantur cum magna maiestate, & magnificentiâ Regiâ, & pervenimus Hierosolymâ, ubi accidit, quod refert Evangelium: tandem pertigimus ad stabulum Bethlehemiticum. Postquam eò venissemus, reperimus ibi sanctissimum Infantem DEUM nostrum in brachijs suæ sanctissimæ Matris, & ipsius Sponsum sanctum Iosephum. Sancti Reges me protruserunt ante, ut ego prius adorarem Dominum. Me verò valde puduit istius urbanitatis, & dixi illis: Non, Domini, absit, ut hoc faciam; in primis enim non decet; deinde venio vacua, non fero, quod præsentem Divinæ Majestati; qui ferunt munera, ingrediantur prius. Sanctus autem Angelus meus Cultos mihi dixit: Non fers, quod præsentem? Impone modò, Soror, manum in tuum sinum, & videbis, te habere ibi, quod offeras Domino. Imposui manum in sinum, & inveni in eo cor, quod habebat colorem vivacissimi rubini, atq; erat meum. Fui iussu accedere ad adorandum Dominum. Accessi, obtuli me in ancillam Divinæ Majestati, agnovi ipsum præ DEO, ac Domino meo, DEO & Homine vero, & præsentavi ei meum cor, quod sanctissima Virgo accepit in suas manus, & sibi applicuit, deditque deinde Domino, qui illud servavit in semetipso. Venerunt postea sancti tres Reges cum magna maiestate & pompa, prostraverunt se humi, & adoraverunt Dominum tanquam DEUM & Hominem verum, suo, atq; totius Gentilitatis nomine. Actus iste fuit magnæ devotionis, humilitatis, & magnificentiæ. Obtulerunt ipsi sua dona, & gloriosus sanctus Iosephus, qui stabat nonnihil remotus, illa suscepit. Cùm illum adoravissent, erexerunt se Reges, & exiverunt cum magna autoritate ex stabulo, retrogredientes averso dorso à Domino. Comitatus est illos sanctus Iosephus, atque tum post-

quam adhuc se profundè inclinavissent, verterunt dorso, ac discesserunt.

## §. VI.

**D**Eniq; ostendit Venemabilis Marina se majorem fecisse progressum in spiritu; quod gratias, quas erat solita suscipere in suis iuribus, itemò annis posterioribus consequeretur, præbuerit majora indicia suæ ardentis charitatis erga proximos, ut apparebit in his duobus, quæ ipsi ipsidem festis acciderunt.

Nocte, inquit, Nascantis DEI (anno 1623) venerunt ad me Domini mei Angeli cum magna festinatione, dixeruntque mihi: Veni Soror nobiscum, quia sanctissima Virgo est in stabulo Bethlehemitico. Et deduxerunt me illum in momento. Vidi sanctissimam Virginem Dominam Noctram, constitutam in altissima contemplatione, splendentem instar Solis, & Sanctum Iosephum remotum alibi, etiam provolutum in genua, & manibus junctis vacantem contemplationi. Subito autem adfuit hora felicissimi partus, & sanctissima Virgo suscitavit, atque cum gravitate, & autoritate, ac Divino quodam & admirando modo peperit suum sanctissimū Filium, qui comparuit apud ipsius pedes supra scœnum. Et venerunt continuo multi Angeli DEI, adoraveruntque illum, sed & sanctissima Virgo ipsum de genibus adoravit, ac sanctus Iosephus. Beatissima Virgo confedit, atque depositum ex suo capite superius velum extendit supra suum gremium, & sustulit sanctissimum Infantem ad sua genua: Sanctus Ioseph attulit fascias, omnesq; unâ pannos, quibus Deipara involvit suum sanctissimum Filium, & lactatum, reclinavit in præsepio. Manifestavit mihi DEUS quodam valde spiritali ac Divino modo, partum hujus Domine, & quâ ratione fuerit, manseritque Virgo, ac illibata, eâ certitudine, atque a deo majore, quàm si id vidissem oculis corporeis. Petivi à DEO gratiam, ut omnes mei Amici & benefactores, quique se commendaverunt meis precibus, adessent, & frueretur hoc Divino mysterio. Et ecce vi-

di statim in illo sancto stabulo multos homines, tum Religiosos, & Moniales, tum sæculares, viros & fæminas, ex quibus nonnullos sigillatim agnovi. Sanctus Joseph subito apparavit quandam parvam mensam, quantumvis paupertinam, valde tamen nitidam & elegantem, in qua posuit delicatissimum & candidissimum panem instar spiræ. Mendicavi, ut mihi darent aliquid ex illo tam delicato pane, à Beatissima Virgine, & à sancto Patriarcha. Tum sanctus Joseph acceptum panem fregit super mensam, non admovendo illum ad se, deditque mihi unam partem: deinde sanctissima Virgo apprehendens panem suis sanctissimis manibus, sibi que applicans, divisit & dedit mihi aliud ingens frustum. Hunc panem ego distribui omnibus amicis præsentibus, dando singulis unum bolus. Postea intellexi à Domino, illum panem habuisse vim corroborandi & fortificandi animas. Fui deinde reducta ad meum angulum, postquam discessi à mea Domina, ac Divino ejus Sponso.

Cum post hoc audirem Sacrum, ante Communionem, Sanctissima Virgo venit ad meum cubiculum cum suo sanctissimo Filiolo, & dixit mihi: Anima, adfero tibi hic meum Filium, ut ipsum adores, eoque te oblectes. Adoravi illum & exosculatus sum ejus pedem ac humerum, cum magno timore, & fui rapta in ecstasim. Quando ad me redij, intrabat Sacerdos me communicaturus. Nocte sequentis Festi Triû Regum in Januario, 1624, venerunt ad me Domini mei Angeli, & dixerunt mihi festinanter: Veni nobiscum anima, vocat enim te Dominus. Duxerunt me ad cœlestem Jerosolymam, ut adessem solennitati, quæ celebrabatur eo die in honoré Verbi Incarnati. Vidi sanctissimam Virginem in pereleganti throno, & sede, conspicuam maximâ gloriâ, ac splendoribus, ut videretur mille Solibus circumdata. Tenebat in suis brachijs sanctissimum Puellum, DEUM & Hominem verum. Tota ista Domina erat quodammodo incincta à Beatissima Trinitate. Derepente cœpit exaudiri musica cœlestis, ac Divina Angelo-

rum, & Animarum sanctarum, in laudem Verbi Æterni, gratias ipsi agentium, pro beneficio præstito mundo, & hominibus: videbatur tota illa sancta civitas conflagrare amore & gloriâ DEI. Venerunt universi Angeli, & Sancti veteris ac novi testamenti, Apostoli, Patriarchæ Religionum, & omnes reliqui Sancti ac Sanctæ, suo que ordine, habentes coronas in capicibus, & prostrati adoraverunt illum Dominum, deponentes ex capicibus coronas, & collocantes illas ad ipsius pedes, contestando omnia sua bona, ac beatitudinem sibi provenisse per mysteria, & mortem, ac Passionem Verbi Incarnati, quod adorabant, ut DEUM ac Dominum totius Universi. Fuit Festum hoc tam solenne, & mirabile, tantæque majestatis, ut nequeat verbis explicari, quia excedit omnem humanam exaggerationem. Postquam adveni, omnes me jusserunt accedere ad adorandû Dominum. Ego agnoscens meam miseriam, & me non habere, quod ipsi offerrem, cum omnes obtulissent suas coronas, tergiverfabar, & volebam accedere. Sed mei sancti Angeli me duxerunt, & prostrata adoravi Dominum, ut scivi. Divina Majestas autem mihi dixit: Anima, offer mihi aliquid, sicut isti Sancti obtulerunt. Ego respondi: Mi Domine, non habeo, quod offeram; quia sum miserabilis creatura tua, atque si aliquid possideo, non est meum, sed tuum; neque aliud habeo, quàm quod tu mihi dedisti. Itâ, habes, dixit Dominus, impone manum in tuum sinum. Feci, quod eram jussa à Domino, & exposui quinque nummos aureos splendidissimos, quos ipsi obtuli, & erant quinque virtutes, quas mihi Dominus dederat, significatæ per quinque nummos, quem admodum alibi dictum est.

Ab illo throno Divino, ubi erat Verbum Divinum Incarnatum in brachijs suæ sanctissimæ Matris, subtrus prodibat grandis fluvius, qui erat figura sanguinis JESU Christi Domini nostri, Divinorumque ipsius meritorum, quæ nobis communicantur per sanctum Baptismum, & reliqua Sacramenta. Et rogavi Dominum, ut dignaretur



retur omnes meos amicos, ac amicas reddere participes hujus Festi, sicut alterius reddiderat die Nativitatis: atque statim respiciens, vidi illos adesse. Tum Dominus dixit: Nuper illis dedisti Divinum panem, qui tibi fuerat datus, da illis modò aquarum Divinam hujus fluminis. Et cucurri arrepto magno vase, quod mihi fuerat oblatum, hausique illam aquam fluminis, & dedi ex ea omnibus; quâ fuerunt, ut videbatur, omnes satiati & exhilarati, ac recreati, & confortati. His peractis, largissimam benedictionem dedit Dominus omnibus Sanctis; ego verò fui reducta domum.

## §. VII.

**A**ddamus hîc, quod illi contigit alio anno 1615. Die Epiphaniæ. Cum valdè vexaretur à suis doloribus, dixit suis sanctis Angelis: Domini, in Festo trium Regum

celebrata fuerat magna solennitas in Cœlo: sed ego eam non vidi. *Et ipsi responderunt: Videbis illam in æternitate. Tunc illis dixit: Vellem ipsos videre solenniter celebrantes aliquod Festum; statimque illi comparuerunt eleganter vestiti, & splendidissimi. Protulerunt quadam instrumenta musica, quæ videbantur esse sambuca, pandura, & fides, atque melodiæ & harmoniâ cœlesti concinuerunt suavissimè certos versus, quos illa ipsa ex vehementia ardentis affectus erga suum DEUM composuerat, constantes magis inflammatis animæ suspirijs, quàm artificiosa consonantiâ. In his se ipsam aliquoties nominabat Ancillam Domini, & Angeli inter canendum substituebant vocem Sponsæ, loco Ancillæ, quos illa corrigebat, sed ipsi prosequabantur substitutionem vocis.*

(e)\*\*(a)

## CAPUT X.

**De Purificatione Beatissimæ Virginis, & reditu ex Bethlehem ad suam Domum Nazarethanam; quàmque Domina Nostra æstimaverit hanc sanctam Domum.**

## §. I.

**D**um essem, ait, collecta, meo more, aliquando manè, prope Festum Purificationis Anno 1597. vidi sanctissimam Virginem, in stabulo Bethlehemitico sedentem cum suo pretioso Filio in brachijs, formosiorum quam possit cogitari, & in corpore suo ac vultu præseferbat ætatem quatuordecim vel quindecim annorum. Ad latus ipsius stabat sanctus Joseph, quem admirabiliter aspexit & cœpit alloqui, magnâ humilitate, ac sancto quodam amore, & reverentiâ cum ipso conferendo, ubi reperturi essent turtures, vel columbas pro oblatione, quæ peragenda esset die suæ Purificationis. Sanctus Conjunx respondit quàm humillimè, & reverentissimè dicendo, quis ea in re esset modus servandus. Deinde sanctissima Virgo surrexit ex loco,

in quo federat, reclinavitque suum pretiosum Filium in præsepio, ac tum illam aspexit, vidi que pulchriorem, ac speciosiorum, quàm unquam ipsam viderim. Erat sanctum illius corpus mediocris staturæ, conspicuum modestiâ, gravitate, & animi demissione, atque compositione cœlesti; vestem habuit coloris ac formæ honestæ, & modestæ, itâ tamen, ut hic ipse vestitus representaret quandam Majestatem, ac tantum Dominium, ut nemo illum conspexisset, qui ipso considerato, non dixisset, eam Dominam esse magnam aliquam Reginam, & eum vestitum esse tam pretiosum ac sumptuosum, ut omnes mundi divitiæ cum eo comparatæ, essent sordes. Gestabat in capite velum quàm honestissimè expansum, longum & candidissimum, cujus una extremitas defluebat super humerum ipsius sinistrum, altera vero ambi-

A a 3

bat